



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

**Ribadeneyra, Pedro de
Coloniæ Agrippinæ, 1602**

Petrus Correa, & Ioannes Sossa à Barbaris trucidantur. XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45323

ex omnibus ferè Prouincijs, in quibus
nostra Societas est, omnium penè Ma-
gistratum literæ breui ad ipsum per-
feruntur, omnes sui iudicij, firmum,
graue, præclarum nostris testimoni-
um dant: his testimonijs Ignatius tamè
non vititur, quòd videret decretum i-
psum concidisse sua sponte, atque ita
cuanuisse: intra paucos dies, vt eius vix
nomen extaret. Falsitas enim cadit i-
psa per se. Porro in Hispania, quod Sor-
bonense decretum contra sacrosanctā
Sedis Apostolicæ esset autoritatem, à
qua Religio nostra probata & confir-
mata est: fidei Quæsitores illud tan-
quam falsum, & quod pias aures offen-
deret, suo decreto legi prohibuerunt.
Atque illud etiam consecutum est, vt
cum ante decretum Societas nostra
nullum Collegium haberet in Gallia,
post decretum, intra annum, duo ha-
buerit.

*PETRVS CORREA, ET IOAN-
nes Sosa à Barbaris trucidantur.*

CAPVT XII.

Quo tempore Societas ijs modis
exercebatur in Gallia, eodè, pro
Christo sanguinem in Brasilia
fundeat. Nā Petrus Correa, & Ioānes
Sosa

Sosa Lusitani, Societatis filij, ad Euan-
gelium Ibiragiaris populis prædican-
dum profecti, è Carigis feris homini-
bus, ac barbaris, sagittis transfixi, & ge-
nibus flexis orantes, interfecti sunt. Er-
rat Petrus vir nobilis, & fortis, qui in
Brasilia, antequam Societatem esset
ingressus, Christiani nominis amplifi-
candi studio quodam incitatus, vt à
Christianis vim barbarorum auerte-
ret, barbaris ipsis quæ poterat damna
inferebat. Societati deinde nostræ, in
Brasilia omnium se primus adiunxit:
& vt præteritæ vitæ culpas redimeret,
& illatum illis populis damnum, quo-
ad posset refarciret, vitam suam Brasi-
liorum saluti, laboresque dicauit. Ita-
que annos quinque quos postea vixit,
eximia humilitate, obedientia, perfe-
ctionisque desiderio, prudenter in i-
psorum utilitate, strenueque consum-
psit: multumque & vitæ exemplo,
& Brasiliæ linguæ cognitione, &
rerum vsu profecit: quoad exeun-
te anno 1554. quo supra diximus
modo, necatus est. Alter Ioannes Sosa
& ipse inter primos, qui nostrorum ea
in Prouincia institutū secuti sunt, sim-
plex, & rectus, excellentique pœniten-
tiæ, humilitatis, & charitatis virtute

præditus, à foco, & culina, in qua fratribus ministrabat, ad tam gloriosum exitum assumptus est. Res autem nostræ ita sunt apud populos illos amplificatæ, vt in pagis oppidisque Saluatoris, Sancti Vincentij, Paratiningæ, Portus securi, Spiritus sancti, Illeos, Pernâbuci, & alijs nonnullis domicilia habemus: ad quæ constituenda, & nostros moderandos, Emanuelem Nobregam Ignatius præpositum Prouincialem creauit.

IOANNES NUGNES AETHIOPIÆ Patriarcha creatur, & in Indiam mittitur.

CAPVT XIII.

Flebant hæc in Brasilia, cum Ioannes Nugnes Patriarcha Aethiopiæ designatur. Eius rei ratio fuit huiusmodi: Sunt Aethiopes inter Christianos veteres in primis, qui partim à Beato Matthæo Apostolo, partim ab Eunucho Candacis Reginae Aethiopum, à Philippo baptizato, Christi fidem acceperunt. Sed Moyfis legem vel primi illi retinuerunt, vel abiectam repetiuerunt eorum posterij: & Christianæ fidei sinceritatem, Iudaicis ceremonijs inquinarunt. Nã & baptizantur,
& cir-

act. 8.